

CAP. IV. De mutuo, & usura.....	434
CAP. V. De titulis ab usura mutuum excu- santibus.....	442
CAP. VI. De emptione, & venditione...	453
CAP. VII. De negotiatione.....	465
CAP. VIII. De contractu census.....	468
CAP. IX. De cambio.....	471
CAP. X. De locatione, & conductione.....	473
CAP. XI. De aliis contractibus.....	476
CAP. XII. De contractu societatis.....	485
CAP. XIII. De tutela, & Testamentis..	491
CAP. XIV. De renuntiatione hæreditatis, & executione testamenti.....	502
CAP. XV. De iis, qui testari & hæredes in- stitui possunt.....	507
APPENDIX. De iustitia, & jure.....	513

TRACTATUS VIII.

De octavo & reliquis Decalogi Præceptis.

CAP. I. De Præcepto octavo: Non falsum testimonium dices.....	524
CAP. II. De restitutione honoris, & fa- mæ.....	534
CAP. III. De mendatio, & de Præcepto de- cimo Decalogi.....	540

TRACTATUS IX.

De Præceptis Ecclesiæ.

CAP. I. De ieiunii obligatione.....	541
CAP. II. De causis excusantibus a jeju- nio.....	551
CAP. III. De Præcepto Ecclesiastico solveudi decimas.....	558

DISSERTATIO PROLEGOMENA

DE

LOCIS THEOLOGICÆ MORALIS,

EXCEPTA EX DISSERTATIONIBUS

FR. ANTONII ZACCHARIÆ.

Theologiæ Moralis locos vocamus fontes, e quibus doctrinæ morum studiosi scientiam maxime haurire possunt, ac omnino debent. Isti vero sunt Scriptura S., libri SS. PP., decreta Conciliorum ac Romanorum Pontificum, Theologorum scripta celebriorum, denique ratio naturalis in iis, quæ ad Jus naturale spectant. Quoniam igitur pacto singulis hisce locis Theologus uti possit, singillatim explicabimus.

CAPUT I.

De Scripturis Sacris.

§. I.

Quotuplex sit Sacrarum Scripturarum sensus.

Triples est Scripturarum sensus, *litteralis*, qui & *historicus* dicitur, quod in historia is ma-

xime eluceat, *mysticus*, & *accommodatitius* Unum litterarum sensum admittunt novatores, quos a Salmerone proleg. 7. Serario c. 21. Bonfrerio c. 20. vide vehementer exagitados confososque.

Litteralem sensum dicimus, quem verba, sive proprie, sive metaphorice accepta ex Spiritu S. loquentis intentione primo, & immediate significant. Non enim is tantummodo litterarius sensus est, quem verba proprie sine tropo significant; alias plura Scripturarum loca litterali sensu carerent. Hinc merito Bellarminus lib. 3. c. 3. docet, duplicem esse litteralem sensum, *proprium*, & *figuratum*.

Mysticus porro is est, qui non proxime per voces, sed mediate & remote, mediis scilicet rebus per voces sensu litterali significatis a Spiritu S. indicatur. Exemplum esto illud Deuteron. 25. *Non alligabis os bovi trituranti*. Ubi sensus litteralis is est, quem verba indicant; mysticus vero ut S. Paulus 1. Cor. 9. explicat, Doctoribus, & concionatoribus necessaria ad victum supeditanda esse significat.

Cum autem res mediate, & remote in Scripturis per voces significatæ, tres veluti in clases distribui possint, triplex quoque mysticus sensus a Doctoribus statuitur: *allegoricus*, qui res credendas, & ad militatem Ecclesiam pertinentes significat; *anagogicus*, qui circa res sperandas, ac triumphantis Ecclesiæ proprias versatur; *tropologicus*, qui res agendas, morumque institutiones spectat; hinc celebre illud dy stichon :

Littera gesta docet; quid credas, allegoria;

Moralis quid agas; quo tendas, anagogia.

Accommodatitius est, per quem ea, quæ litterali sensu dicuntur, ad alia, quæ Spiritu S. neque proxime, neque remote significavit, transferuntur. In multis hujusmodi accomodatione utitur Ecclesia, ut cum illud Ecclesiast. 44. *inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*, Sanctis Confessoribus aptat. Sic etiam quæ Zachar. 4. de Jesu Sacerdote, filio Josedech, & Zorobabel dicuntur: *hi sunt duæ olive*, cet. Joannes Apoc. 11. 4. Enoch., & Eliæ accommodat. Hæc autem de hisce sensibus notabis. Primum est, accommodatitium sensum, cum ex cujusque ingenio fingi possit, perperam ad probandum afferri. II. Sensum litteralem in omni Scripturæ loco reperiri, non item mysticum. III. Posse interdum plures ejusdem sententiæ sensus litterales dari, ut post B. Thomam 1. p. q. 1. a. 10. probant Salmeron, & Bonfrerius. Exemplum sit locus ille Isaïæ c. 43. *Generationem ejus quis enarrabit*, quem Patres plurimi de æterna Christi generatione, de temporali in utero Virginis alii intelligunt; utrique apte, sive generationem utramque spectes, sive loci illius seriem universam. IV. Posse quoque plures in eadem sententia mysticos sensus, atque adeo interdum omnes reperiri. Sic Jerusalem, quæ vox litterali sensu urbem significat, allegorice Ecclesiam, tropologicè animam, anagogice cælestem gloriam indicat. V. Sensum mysticum plerumque ex veteri tantum testamento erui, utpote quo figuris, allegoriis, & symbolis abundat; rarius

vero in novo reperiri, licet in hoc etiam locum habeat, uti in navicula Petri jactata videre est, quæ mystice persecutiones Ecclesiæ illatas significat.

§. II.

Quonam modo litterarius Bibliorum sensus sit investigandus.

De litterario sensu quærimus, quo modo investigandus sit: nam mysticum Morali Theologo utiliore credo exornandis thesibus suis, quam solide comprobandis, de quo in sequenti capite.

Interea XII. subsidia hic habeto, litterali sensui inquirendo maxime apta, quorum priora sex aliorum etiam librorum communia sunt, posteriora sex Bibliorum propria.

I. Linguarum, Græcæ præsertim, ac hebraicæ cognitio. II. Artium, quibus loquendi ratio traditur, peritiâ sive Grammatica, sive Rhetorica sit. III. Disciplinarum, quas Scripturæ attingunt, scientiâ. Huc præter scolasticam Theologiam spectat Historia, Philosophia, Mathesis, Geographia, & antiquitatis universæ notitia. IV. Omnium, quæ in capitis, vel libri contextu sunt, consideratio; antecedentium videlicet, & consequentium. V. Similium, & disimilium locorum collatio. VI. Interpretum lectio. VII. Divini luminis imploratio. VIII. Vitæ puritas. IX. Inspecio traditionis Apostolicæ, & generalis in Ecclesia Catholica praxis. X. Consideratio analogiæ

fidei, de qua Apost. Rom. XII. 7. XI. Unanimis Patrum consensio. XII. Regulæ quædam, quæ ad intelligendas Scripturas a Viris quibusdam doctis traditæ sunt. V. Paganinum in Isagoge, Salmer. Proleg. 9. 10. & 11. & Bonfrerium c. 20. Sect. 4.

§. III.

De usu Scripturarum in Morali Theologia.

Canon I. Scripturæ auctoritas præcipuus fons est unde Theologus, quæ ad mores spectant, doctrinas hauriat. Nam, ut scribebat Greg. XIII. ad Philippum II. Hispaniarum Regem; *hinc omnia ad omnes virtutes præcepta colliguntur.*

Canon II. Ne quidquam statuito, quod clarissimis Scripturarum testimoniis adversetur.

Canon III. Nihil defendito, quod pugnet cum aliqua conclusione, per legitimum discursum ex Scriptura S. deducta.

Canon IV. Ad confirmandam conclusionem quamvis Scripturis in mystico sensu acceptis ne utere, nisi constet, hunc esse verum sensum mysticum. Constabit autem præter subsidia n. 9. 10. 11. nuper indicata, quotiescumque ab alio Canonico Scriptore locus quispiam Scripturæ ad probandum adducitur; sensusque, quem illi dat Scriptor Canonicus, litteralis esse non possit V. Bonfrer. c. 20. Sect. 4.

Canon V. Historias, in quibus Scriptura sacra narrat, viros justos quidpiam præstitisse, quod vel malum revera sit vel mali speciem habet, casuum solvendorum regulas ne putato. Non

enim (quod sapienter monitum ab Augustino contra mendacium cap. 8.) Omnia, quæ a Sanctis, vel Justis viris legitimus facta, transferre debemus in mores.

Consecrarium. Non licet parentibus, filiis maledicere, aut eos ex quocunque zelo occidere, quod Noe Cham posteris maledixerit, & Abraham peculiari Dei præcepto Issac filium immolare paratus fuerit.

Canon VI. Singularia exempla, quæ in Scripturis leguntur, ad universalem legem confirmandam ne assumito.

Consecrarium. Ridicule Besombes T. 2. Tract. 2. c. 4. veram hanc propositionem: *quatuor requiruntur conditiones in eo, qui absolvit a censuris. I. Debet esse Clericus. II. Debet habere Jurisdictionem contentiosam. III. Debet certa scientia absolvere. IV. Debet absolvere sponte, & non coacte;* ridicule, inquam, hoc argumento probat: *Paulus, qui absolvit Corinthium incestuosum, quatuor prædictas habebat conditiones. Vah! bellam rationationem, hujus similem: Paulus, qui incestuosum absolvit, fuit Apostolus: Apostolus ergo sit oportet, qui absolvit a censuris.*

Canon VII. Præcepta moralia, quæ in veteri Testamento sanciantur, ne sumito in ea restrictione, qua videntur in Exodo exprimi, nec juxta falsam Scripturarum interpretationem, aut popularem Hebræorum traditionem; sed juxta eam additionem, quam vel Moyses, vel alii Scriptores Canonici apposuerunt, illamque potissimum explanationem, quam tradit Christus in Evangelio.

Consecrarium. Licet Judæi putaverint, solum actus externos a lege prohiberi, minime vero cogitationes, desideria, cet.; nefas tamen est, ita sentire, Christo oppositam doctrinam prædicante.

Canon VIII. Videndum, ne Scripturæ verbis, quibus pium aliquod consilium proponitur, præceptionis vim inesse, incauti velimus.

Canon IX. A Scripturis citandis abstinere consultius judicato, quam harumce allegationum vanitate quadam abripi, eosque locos afferre, qui nihil efficiant.

Consecrarium. Rideandus Besombes, qui T. 2. Tract. 4. c. 4. ar. 5. monet, antiquitus aquam etiam ipsam extra refectionem interdictam fuisse jejnantibus. Unde id vero probat? *Rex enim Nivitarum indixit abstinentiam panis, & aquæ. Et Esdras jejnans panem non comedit, & aquam non bibit.*

CAPUT II.

De Sanctis Patribus.

§. I.

Quid SS. Patrum nomine intelligamus.

Sanctos Patres dum dicimus, non Apostolos, aut Pontifices quoscunque intelligimus, neque eos solum, quos Doctores Ecclesie expresso suffragio declaravit; sed veteres Scriptores Ecclesiasticos ab Apostolico ævo ad medium XII. sæculum: horum agmen claudit mellifluus Claravallensis Abbas Bernardus.

De Scriptoribus Ecclesiasticis disseruerunt Hieronymus, Gennadius, Isidorus Hispalensis, aliique, editi a Fabricio cum animadversionibus 1713. sub titulo Bibliothecæ Ecclesiasticæ. Consuli etiam possunt Sixti Senensis Bibliotheca, Possevini apparatus, Bellarmini Catalogus cum supplemento Ordini, quod scripsi iste, antequam ad hæreticos accederet.

§. II.

De legibus in usu Patrum a Morali
Theologo servandis.

Canon I. Si in quæstione morum definienda Patres omnes idem doceant, id veluti certum habendum est; quique aliter sentiret, ab hæresis suspicione liber haud esset. V. Canum lib. 7. de locis Theol. c. 3. conc. 6.

Canon II. Unius, aut duorum Patrum auctoritas in his, quæ ad doctrinam morum pertinent, probabile quidem argumentum subministrare potest, firmum vero non potest. Ita, inquit sapienter Canus conc. 2. *despicere*, & *pro nihilo habere*, *impudentis erit*; *suscipere*, & *habere pro certo*, *erit omnino imprudentis*.

Canon III. Etiam plurium Patrum auctoritas, reliquis licet paucioribus reclamantibus, ea argumenta Theologo sufficere, & præstare non valet, quibus refragari, nefas sit. Quæ indicavimus exempla, id abunde demonstrant. Plura refert Lupus indissertatione *de opinione probabili*.

Canon IV. Patrum testimonia multa agglomerare ad firmanda generalia Theologiæ Moralis principia, in quibus Theologi omnes sibi consentiunt (nisi contra hæreticos sermo sit) intemperantis hominis est, & eruditionis famam captantis.

Canon V. Quæ ex Patrum homiliis, asceticis libris, & orationibus, idque genus lucubrationibus adduci possunt testimonia, non eam Theologo fidem faciunt, quam quæ in dogmaticis instructionibus, epistolis, catechesibus continentur. Nam multa in ejusmodi libris exaggeratius proferuntur, quod Oratoribus commune est; multa quoque consilium potius spectant, quam præceptiones. Neque ideo Dallæo hæretico consentimus, qui ad declinanda Catholica dogmata, a PP. tradita, ait, Patres dicendo rethoricis flosculis usos fuisse, atque amplificationibus oratoriis. Quis enim non viderit latum Dallæum inter, & nos discrimen intercedere? Ille contendit, patres in homiliis, & orationibus non ea proponere, quæ a Catholicis omnibus credenda sint dogmata: nos nihil eis tribuimus a catholica doctrina alienum. Quanquam vero ne illa quidem docere potuerint, quæ cum Christianis legibus pugnent, ut nemo negat; hortari tamen auditores potuerunt ad ea, quæ præcepti non sunt, sed consilii; iisque ad id uti exaggeratoriis verbis, quæ præceptum prima fronte exhibeant.

Canon VI. Inconsultum est, ea Patrum loca seligere, ubi Patres aliud omnino tractantes, aliquid occasione accepta de altera re paucis in-

dicant, iis neglectis, ubi hanc materiam ex instituto examinant.

Canon VII. In Patrum sensu investigando hæ maxime regulæ servandæ sunt. I. Quæ in libri, vel capitis contextu sunt, considera diligenter. II. Similes, & dissimiles loci ejusdem Patris conferendi. III. Tempus, quo licet ille editus a Patre quopiam, attendendum. Nam facile ex occasione scribendi libri mens auctoris innotescet: intelligemus etiam, num fortasse eo tempore pater ille præconcepta aliqua opinione occupatus fuerit, quam postea ipsum exuisse, probabile, aut etiam certum sit. IV. Alios Patres huic, de cujus mente quærimus, Synchronos consulemus: quid enim hoc, vel illo sæculo, ea, vel ista vox significari, quo spectare possit hujus, vel alterius moris notatio, facilius comperiemus. Exemplum esto illud Cypriani ep. XII. ubi permittit, ut absente Sacerdote, infirmi apud Diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint. Neque enim hinc fit, Diaconum fuisse tunc Sacramentalis Confessionis ministrum. Nam non hæc solum exomologesis nomine denotatur, sed etiam canonica reconciliatio publicæ poenitentiae, quam Tertullianus lib. de poenit. c. 6. *prosternendi, & humiliificandi hominis disciplinam* appellat. V. Bened. XIV. de Syn. D. lib. VII. c. 16. V. Ex dubiis Patrum operibus ipsorum mentem expiscari, imprudentis est, ubi certa, atque ab omnibus recepta eorundem opera suppetant. Si de græci auctoris mente dubitatio oriatur, non ex versionibus, quæ sæpe numero vitiosæ sunt, sed ex græco exemplo controversiam dirimemus.

Canon VIII. Cavendum, ne apocrypha, ac sublestæ fidei opera citemus, itemque curandum, ut non ex aliorum fide Patrum locos afferamus, sed ipsos Codices consulamus, editionesque maxime probatas, cujusmodi sunt, quæ Dacæi, Petavii, Sirmondi, Labbæi, & Maurinorum Patrum studio prodire.

CAPUT III.

De Romanorum Pontificum decretis, eorumque usu in Morali Theologia.

§. I.

Canones in usu Pontificiorum Decretorum servandi.

Iis, qui Moralem Theologiam tradunt, cavendum cum primis est, ne quidquam doceant, quod cum Pontificum R. decretis pugnet; ceteris vero, qui facultati eidem dant operam, ipsa illa decreta sedulo sunt evolvenda, ne Theologorum, qui antequam Sanctiones illæ prodirent, sua scripta vulgarunt, auctoritate in errorem protrahantur.

Canon I. Videndum, ut quæ citantur decreta, genuina sint. Hinc frustra quicquam efficias ex falsis Pontificum decretalibus usque ad Siricium, quas critici omnes explodunt.

Canon II. Cave, ne quod meræ disciplinæ præceptum fuit, id ad Morales quæstiones decidendas trahas. Nam quod olim disciplina veta-

bat, idque sub gravi, nunc ad meram consilii legem revocari facile potest. Sic Nicolaus I. consulta ad Bulgarorum c. 9. respondit, in quadragesima esse a conjugibus *omni voluptati renunciandum, & ut licenter orationi vacetur, castitati mentis, & corporis incumbendum.* Quis autem tunc inferat, non licere Quadragesimæ tempore opus conjugii? V. Bened. XIV. de Syn. D. lib. 5. c. 1. n. 8.

Canon III. In iis quæstionibus, in quibus de valore alicujus rei agitur, puta matrimonii, frustra Pontificum decreta citantur, quæ solum illicitum aliquid statuunt. Sic si de Matrimonii clandestini valore agitur, perperam allegaretur Siricii decretum in Ep. ad Himerium c. 4. volentis, Sacerdotali benedictione obsignari sponsalia de futuro; nam ne dicamus etiam promissionem matrimonii inanem fuisse sine Sacerdotis benedictione, dicendus est Pontifex præceptum tantummodo imposuisse, quod illicita redderet, non invalida sponsalia absque Sacerdotis benedictione. Confer. Bened. XIV. de Syn. Diœ. lib. 8. c. 12. n. 5.

Canon IV. Pontificis decreto aliquid universim permittenti non derogatur per subsequentia decreta, quæ in specialibus quibusdam casibus illud limitant. Innoc. III. ex q. *incap. a nobis 9. de cohab. Cler. & mul.* ait: *Cum clericis quoque non permittas, mulierculas habitare, nisi forte de illis personis existant, in quibus naturale fœdus nihil permittit sævi criminis suspicari.* Contra Nannetense Concilium incerti anni, cujus Constitutio in-

serta fuit compilatione decretalium Greg. IX. etiam *matrem, amitam, sororem* a Clericorum domibus excludit, scilicet cum de hoc, vel illo agitur, cujus depravati sunt mores, & cum qualibet muliere consuetudo est suspecta. Itaque, uti scite monet Bened. XIV. de S. D. lib. 11. c. 5. Decretalis Innoc. III. regulam constituit universalem, communiter observandam: decretum autem Nannetense ponit regulæ limitationem, in specialibus tantum quibusdam eventibus adhibendam.

Canon V. Pontificis aliquid permittentis verba non licet ad sensum trahere catholico dogmati repugnantem, aut ab obvio verborum, quibus decretum illud editum est, sensu alienum. Contra hunc Canonem peccant, qui Innocentii I. verba in epist. ad Decentium *Quod (oleum Sacrum) ab Episcopo confectum non solum Sacerdotibus, sed & omnibus uti Christianis licet in sua, aut in suorum necessitate ad unguendum;* qui, inquam, ita hæc interpretantur, ut omnes Christianos Extremæ Unctionis Ministros Innocentius indicarit. Porro cum Maldonato, aliisque a Bened. XIV. citatis de Syn. Diœ. l. 8. c. 4. verisimillimum est, locutum fuisse Innocentium de Unctione non *activa*, sed *passiva*, hoc est, non de collatione sed de receptione Sacramenti, cum essent; qui oleo sancto solos inungi censerent, a quibus conficitur, Sacerdotes. Certe ipsum verbum *uti* hoc indicat.

Canon VI. Si Pontifex aliquid concedat, quod prius negaverat, ex priore illa negatione, quid per ipsum deinde licuerit, optime intelli-

gitur. Hinc cum S. Greg. M. lib. 4. Ep. 26. Calaritanis Presbyteris facultatem *ungendi in fronte baptizatos infantes* concedit, quam eisdem ep. 9. denegaverat, de unctione confirmatoria locutum illum fuisse constat etiam ep. 26. cum manifestum sit, eam unctionem prius ep. 9. fuisse illis a Pontifice denegatam V. Bened. XIV. de S. D. lib. 7. c. 7. n. 5.

Canon VII. Privilegiorum per Pontificem universalis abrogatio non impedit, quominus alicui abrogata privilegia iterum per alium Pontificem, aut etiam per eundem concedantur. Hinc etsi communi Scriptorum suffragio post S. Pii V. Constitutionem *Sanctissimus in Christo* non liceat ullibi celebrare Missam in pervigilio Nativitatis ante mediam noctem, esto ex vi præcedentium privilegiorum id olim in Ecclesiis aliquot obtinisset; tamen is mos etiam num in quibusdam Venetiarum templis licite perseverat, vel ob alia privilegia posteriore ævo indulta, vel ob veterum privilegiorum confirmationem. Confer. Bened. XIV. de S. D. lib. 6. c. 8.

Canon VIII. In Pontificiis Constitutionibus, quæ aliquid faciendum præcipiunt, notandum est cum primis quos illæ adficiant, tum quæ ad illud præcipiendum rationes Pontificem impulerint.

Consectarium I. Ex Decretali Innoc. III. quæ Presbyteris apud Constantinopolim constitutis districte prohibetur, ne Confirmationem conferant, male deducitur, irritam esse, illicitamque Confirmationem a Græcis Sacerdotibus collatam. Nam Innocentius de Latinis Sacerdotibus

expresse loquitur. Vide Bened. XIV. de Syn. Diœc. lib. 7. c. 9.

Consectarium II. Græcis Sacerdotibus universim non licere Confirmationis Sacramentum conferre, etiam male colligitur ex Nicolai I. Constitutione, Bulgaros a Sacerdotibus consignatos iterum confirmari iubentis. Nam aliis omnino ad id ductus est Nicolaus rationibus, quam quæ id Græcis omnibus Sacerdotibus prohibitum efficiant. Bulgari nempe, inquit loco citato Benedictus XIV. Confirmationem receperant a Sacerdotibus, qui Photii errore imbuti eam contulerant jure ordinario, existimantes nimirum, potestatem eam conferendi & Episcopis, & Sacerdotibus pari jure competere; præterea iidem Sacerdotes delegati fuerant a Photio *mæcho*, & *invasore*, ut loquebantur Apostolici Legati, hoc est, Pseudo-Patriarcha, cui propterea legitimi Patriarchæ jura non conveniebant; tandem Bulgaria pertinebat ad Patriarcham occidentalem, atque ideo delegatio, de qua est sermo, a Rom. Pontifice Græcis Presbyteris sive expresse, sive tacite facta ministrandi Confirmationem in Patriarchalibus Orientis, nequaquam iisdem Presbyteris id ipsum in Bulgaria peragere permittebat.

Canon X. Ex alicuius propositionis Pontificia damnatione non licet deducere damnationem alterius, quæ alteri omnino rationi innitur. Exemplum esto. Damnavit Clemens VIII. adserentes, *licere per litteras, seu internuntium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.*

Urbanus tamen VIII. a. 1632. non solum statuit, valide impendi absolutionem, quando ægrotus coram uno, vel altero teste signa contritionis exhibet, deinde superveniente Confessario, nullo externo signo contitendi voluntatem ostendit, constat tamen ex relatu internuntii, ægrotum ostendisse signa contritionis, & confitendi voluntatem; sed etiam declaravit, id non repugnare decreto Clementis VIII. *cum diversam contineat rationem.* Consule Ben. XIV. De Syn. D. lib. 7. c. 15. n. 8.

Canon XI. Ex eo, quod Pontifices aliquid sub anathematis pœna prohibeant, non fit, illud semper *de se* grave esse peccatum. Sic Greg. II. in Conc. Rom. an. 721. anathemate perculit Clericos, *comam nutrientes*, quod *secundum se* lethalis criminis accusare, durum est. V. Bened. lib. 10. c. 3.

Canon XII. Ubi Pontifices aliquid prohibent, ad circumstantias attendere oportet prohibitionis. Huc transfer dicta Canone VIII.

Canon XIII. Si quid Pontifices prohibuerunt, videndum num vivæ vocis oraculo ita mentem suam explicuerint, ut locus non sit argumentationi ad alium omnino casum. Ita plures TT. defendunt etiam post Sixti V. Constitutionem *detestabilis* licitum esse trinum contractum; *Cardinalis enim Toletus*, & *Cardinalis S. Severina*, quibus *mandatum fuit a Sixto V. componenda legis, seu Bullæ, quæ incipit detestabilis, affirmarunt Stephano Tuccio, Theologo S. J. noluisse Sixtum sua lege prohiberi nisi injustos contractus; quare, qui ante legem latam justî erant* (hujus-

modi autem fuisse trinum contractum multis confirmant) *post latam quoque licere*, ut scribit doctus Comitulus Respons. Moral. lib. 3. q. 12. n. 3.

Canon XIV. Videndum præterea est, num posteriores Pontifices latam a decessoribus suis prohibitionem restrinxerint. Sic cum Sixtus V. inter crimina graviora sub degradationis pœna Clericis prohibita numerasset abortum fœtus etiam inanimati, vel per se, vel per alios procuratum, effectu sequente, Gregorius XIV. ad abortum solius fœtus animati Sixtinam restrinxit.

Canon XV. Et illud animadvertendum, num Pontificia Constitutio, aliquid prohibens, alicubi recepta non sit, quod de S. Pii V. Constitutione *Cum onus* gravissimi DD. apud Benedictum XIV. l. 10. c. 5. de Syn. Diœc. narrant, in Gallia scilicet Belgio, & Germania non esse illam receptam.

§. II.

Pontificia decreta a Theologo Morali præ ceteris consideranda.

Ea maxime Theologiæ Moralîs studiosis habenda sunt præ oculis, quæ ad materiam morum spectant. Hujusmodi sunt decreta Alexandri VII. Innocentii XI. & Alexandri VIII. Præterea Epistolæ, & Constitutiones Benedicti XIV. tum super jejuniis, tum super usura, tum super crimine sollicitantium in Confessione, aliisque morum argumentis. Et quamvis ea omnia, quæ

aut definita sunt a R. Pontifice, vel proscripta, suis quæque locis notanda curavimus; non erit tamen inutile, ipsamet Pontificum decreta, & catalogum thei um damnatarum seorsim adjicere, ut, cum opus fuerit, a Theologo possint consuli. Ea nos ad calcem secundi voluminis rejecimus, ne hanc dissertationem plus æquo prolixiorem redderemus.

CAPUT IV.

De Conciliis.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Concilium, quotque Synodalia Canonum classes.

Conciliorum receptissima hodie divisio est in Generalia, Nationalia, Provincialia, & Diœcesana, Generalia, seu Œcumenica dicimus ea, ad quæ Rom. Pontificis vocatione omnes, aut præcipua Christianorum Episcoporum pars congregatur, ut causas scilicet definiat, quæ ad Ecclesiæ, sive fidem, sive mores pertinent. Nationalia sunt, cum a Primæ omnes unius regni, ac Nationis Pontifices coguntur; uti quæ ab unius Provinciæ Episcopis, a Metropolitanis evocatis celebrantur, Provincialia consuevimus appellare. Tandem Diœcesana sunt Synodi Sacerdotum, quæ ab Episcopis singulis in sua Diœcesi haberi solent ob privatâ singularum Ecclesiarum causas.

Ex omnibus his Conciliis quædam sunt congregata R. Pontificis auctoritate, alia vero non item. Rursum alia confirmata sunt a R. Pontifice, alia vero non sunt ab eodem confirmata.

Tria autem in quolibet Concilio pertractari possunt, ea scilicet, quæ ad fidem, mores, atque Ecclesiasticam disciplinam spectant. Quamobrem Conciliorum Canones alii fidei sunt, quibus nempe quæ credenda sunt, quæque a fide abdicanda definiuntur, alii morum, qui quæ agenda sunt, aut fugienda docent: alii demum disciplinæ, quibus consuetudines ad Ecclesiarum regimen, & ordinem aptissimæ constituuntur.

§. II.

De vero usu Conciliorum in Morali Theologia.

Canon I. Concilia omnia, quæ R. Pontificis auctoritate; nec congregata, nec confirmata sunt, errare in doctrina morum possunt, atque adeo certam fidem facere nequeunt eorum quæ agenda sunt aut effugienda.

Id sane invicta ratione demonstrari potest. Nam ejusmodi Concilia errare in fide possunt, ut a Cano, Bellarmino, Suario, aliisque TT. demonstratum pridem est evidentissimis testimoniis. Quid ergo mirum, errare illa posse in morum doctrina? Sed ex tribus Provincialibus Conciliis exemplum profero, scilicet Anglicano apud Bedam lib. 4. hist. c. 5. Suessionensi in Gallia, & Vermeriensi sub Pipino, VIII. Sæculo celebrato. In tribus his Synodis declaratur,